DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIV.

PONT. MAX.

A MARCH: D. ÆGIDIO ORSINI DE ROMA

PATRITIO MEDIOLANENSI

Collegii Clementini Convictore.



ROMÆ, MDCCLIV.

EX TYPOGRAPHIA CHRACAS, PROPE S. MARCUM IN VIA CURSUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

Sanctissimo Domino Nostro

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

ÆGIDIUS ORSINI DE ROMA

FELICITATEM.



Edibus tuis advolutus, BEATISSIME PATER, *perbrevem hanc Orationem, quæ in tuo Sacello, cum ineffabile* TRINITATIS *mysterium celebraretur, a me habita est, tuo inscriptam nomine, ac si præ-*


ſens fuiſſes, humiliter, fidenterque ſiſto. Nec mireris, ſi tanta animi alacritate, & hilaritate vultus me ad SANCTITATEM TUAM *videris acceſſiſſe. Nam, cum ſingulos in dies mihi in mentem redeant ea, quæ, cum adhuc in Patria verſarer, domeſticis ſermonibus meus uſurpabat Patruus magnus de Te ſæpe dicere ſolitus, magis magiſque cupiditate incendor Te adeundi, Te propius videndi, & pedes tuos iterum, iterumque deoſculandi. Memini equidem,* BEATISSIME PATER, *quæ de ſua tecum acta pueritia, quæ de tuis aureis moribus, quæ de tui ingenii perſpicacia, doctrinaque, illa etiam ineunte ætate, commemorabat. Quot inſuper dicta, proh ſuperi! plena ſententiarum a Te prolata, quot facta*

cta plena virtutis referebat, ex quibus tamquam ex ſeminibus jam tum pateret, quanta ſuo tempore gloriæ meſſis exurgeret. Memini tandem, cum mihi jam e Patria diſcedenti, ut ſuo etiam nomine SANCTITATI TUÆ *pedes deoſcularer, molliter flens mandabat. Sine igitur,* BEATISSIME PATER, *ut tam æquo Patrui magni deſiderio, ſimul ac meo morem geram, quem pro certo ſcio quam maxime gaviſurum, quum hæc a me geſta eſſe intelliget. Tu interea Orationem, quam obtuli, quæcunque ea ſit, parva licet, & rudis, benignus excipe; & ſi quid temporis Tibi dederint graves Imperii, & Eccleſiarum ſollicitudines, aliquo obtutu dignare; Magnoque demum Patruo, & Pronepoti, quorum alter tuus, alter Pronepo-*

tis tui ſodalis eſſe gloriatur, noſtroque Collegio, quod ſemper fuit amantiſſimum Tui, quodque cum optima valetudine, & amœnam tibi ruſticationem, & omnia bona adprecatur, Apoſtolicam tuam Benedictionem impertire.



ORA-



ORATIO.



UGUSTISSIMUM TRINITATIS myſterium, quod hodierna die præcipuè colitur, BEATISSIME PATER, & de quo mihi hoc ampliſſimo mnium terrarum loco inſtituendus eſt ſer- 1o, quamvis expreſsè ſolùm in Evangelio ierit a Deo hominibus revelatum; ſæpiùs amen etiam in veteri Teſtamento inſinua- um eſſe quis neget? Nam quid aliud ſibi ult illa Abrahæ viſio, (*a*) cum tres vidit, z unum adoravit? Quid trina Angelorum

apud

apud Iſaiam (*a*) vocabuli ejuſdem repetitio ante thronum Dei ? Quid denique aliud, ut de cæteris taceam, illa Dei verba in creatione hominis ſignificant (*b*): Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram ? Ex quibus quam clare TRINITATIS myſterium evincatur, quin ad novum Teſtamentum recurramus, quæſo diligenter attendite.

Enim vero cum auditis Deum dicentem : Faciamus ; nonne ſtatim vobis videmini Deum cernere ad circum adſtantes aliquos ſeſe convertere, cum iis ſua conſilia conferre, atque opus faciendum proponere ? Nec profecto a veritate aberratis. Revera enim, ut (*c*) Interpretes omnes, Sanctiq. Patres affirmant, adſtantes quoſdam alloquitur. Verum quos nam Deus tunc temporis potuit alloqui ? Qui unquam hi adſtantes fuerunt ? Nunquid Angeli, quos creatos (*d*) in creatione Cœli accepimus ? Sed præterquam quod nuſquam reperitur Deum (*e*) ſic ad Angelos loqui, ut dicat: Faciamus; ſed præcipiat illis, ut faciant;

(a) *Iſai. cap. 6. v. 3.* (b) *Gen. cap. 1. v. 26.* (c) *Vide Bib. max. de div. lection. Joan. de la Haje.* (d) *Ita Conc. Later. Magnum ſub*

necessario inferendum esset, Ange-
]uorum ministerio (*a*) in creatione
nec eguit, nec usus est, fuisse homi-
reatores, (*b*) quippe qui cum Deo ab
sint cooperati, quod nemo unquam
it. Insuper quomodo verum esset quod
:ur: Ad imaginem, & similitudinem
am (*c*)? Nam, ut hæc imago, & simili-
illos æqualiter, & fideliter repræsen-
portet, ut & qui loquitur, & quos al-
tur ejusdem naturæ sint. Nemo autem
:at inter naturam Dei, & Angelorum,
toris scilicet, & creaturarum quantum
iminis intercedat. Alii igitur ab Ange-
nnino sunt, ad quos est sermo Dei.
cum unius debeant esse cum Deo lo-
te naturæ, ut veraciter dici possit: ad
inem, & similitudinem nostram; & eo
quod cum illis sua consilia communi-
sint realiter ab ipso distincti; & nemo
er Deum existat; unitatem, & multi-
iem in Deo esse admittendam quis non
:? Quare optime Scriptura, postquam
dicta Dei verba retulit (*d*): Faciamus
homi-

Men., Lyr. & alii in exp. Gen. (b) *Est. refellens Judæorum opin.*
olunt Deum ad Angelos loqui. (c) *Gen. cap. 1. ut supra.*

hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, quæ innuunt in Deo multitudinẽ perſonarum, ſtatim ſubjungit (a): Et creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, quod innuit unitatem naturæ.

Habemus itaque jam ex illis verbis in uno Deo pluralitatem perſonarum. Quæ quot numero etiam fuerint, ſi quis ſcire cupiat, non erit arduum invenire. Certe pluſquam duas in Deo Hypoſtaſes reperiri, eadem Geneſis aperte demonſtrat. Nam, cum Deus hominum linguam confundere decreviſſet, ita illos alloquentem inducit, quos in creatione hominis antea fuerat allocutus: (b) Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum. Verum, ut notant Interpretes, (c) ad unum nunquam dicitur: venite, ſed ad plures. Et, ſi unus ad plures loquitur, tres, ut minimum ſint, neceſſe eſt. Tres autem revera, & non amplius fuiſſe ut pateat; imaginem, & ſimilitudinem Dei, nempe hominem, (d) qui non ratione quidem corporis, ſed animæ imago

(a) *Ibid. v. 27.* (b) *Gen. cap. 11. v. 7.* (c) *in Bib. Max. var. lect. Joan. de la Haje* (d) *Aug. lib. 24. contra Fauſtum. S. Proſper. Lyran. & alii.*

)ei eſt , inſpiciamus . Verum ani-
ominis unam eſſe quoad naturam ;
quoad potentias quis neſciat ? Aper-
roſius (*a*): Anima licet unius natu-
s tamen in ſe dignitates habet, ideſt
·iam, Intellectum, & Voluntatem.
ue homo vera imago Dei eſt , ut
ıra teſtatur, nec in dubium verti po-
ototypum ſuum debet fideliter præ-
; & ſi anima una eſt quoad naturam,
iam quoad naturam debet eſſe Deus;
)tentiæ in anima trinum numerum
cedunt, nec excedere trinum nume-
Deo debent Hypoſtaſes. Quæ cum
mperta, imo luce ipſa clariora ſint,
ſte patet , quomodo ex illis ver-
Faciamus hominem ad imaginem ,
litudinem noſtram , TRINITATIS
ium evincatur .

temur itaque hodierna die, & ineſ-
divinæ bonitatis theſauros venere-
hymnis (*c*) , & canticis ſpirituali-
ıtias agentes Deo , qui tam mirabili
)ientiæ conſilio hoc tantum myſte-
rium

: *de dign. cond. hum. cap.* 2. (b) *Gen. cap.* 1. *ut ſupra.*

rium nobis dignatus est revelare, ut, quotiescumque ad originem nostram oculos converteremus, statim occurreret. Et quoniam in creatione hominis tota TRINITAS operata est, totus etiam homò in laudem studeat vivere TRINITATIS; ita ut cum Mose (*a*) semper Memoria revolvamus diem nativitatis nostræ, quomodo Deus possedit nos, fecit, & creavit nos: Intellectu nihil aliud cum Beato Joanne (*b*) cognoscamus præter unum verum Deum, &, quem misit, Jesum Christum. Voluntate denique cum Ecclesia Catholica (*c*) Deum unice diligamus, incessanter illum deprecantes, ut mittat Spiritum Sanctum de Cœlis, qui omnium Fidelium corda & foveat, & vivificet, illuminet, & accendat; ut in Charitate roborati, & fidem, quæ (*d*) sine operibus mortua est, operibus confirmantes, & perficientes, ad ejusdem Dei, quem Unum, & Trinum confitemur, possessionem felicissimam perveniamus.

F I N I S.

(a) *Deut. cap. 32. v. 6.* (b) *Joann. cap. 17. v. 3.* (c) *Eccles. Cat. in Hymnis, & Orat.* (d) *S. Jac. cap. 2. v. 20., & 26.*